

Mart.

1723

rotam vitam sentire. Atque in hunc quoque finem in præsens, quanquam non sine singulari animi mœrore atque tristitia, in conspectum vestrum & in scenam quasi producimus, Civem olim nostrum, impotentem Iracundiæ Juvenem. Est is

J. G. L. Zollgrüna - Variscus, Juris Studiosus.

Cum enim hunc inter & Amicum alias suum, J. C. G. Gera-Variscum, iridem Juris Cultorem, anno M DCC XIX. die VI. Julii, circa horam nocturnam undecimam, inter componendum, lis aliqua levioris momenti esset exorta, ille L. non tantum stricto gladio commilitonem suum aggressus est, sed & cum is ad defendendum se peræque ferrum vagina nudasset, cedenti obævientis in se ictibus duo lethalia vulnera inflixit, quibus acceptis statim humi prolapsus, sanguine madens exspiravit. Quo facto reus citissime in fugam se conjecit. Nos rei indignitate & cædis hujus improvisæ atrocitate graviter, & uti par erat, permoti, nihil quidem, quod nostri fuit officii, intermissimus, sed confestim & sine mora literis, quod Leges in ejusmodi casibus jubent, circumquaque missis homicidam ex fuga, si possit fieri, reducere, eumque præsentem pœnæ, quam meruerat, subjicere omni studio contendimus; sed frustra. Quare ex consilio & sententia Jurisprudendum, & imprimis Serenissimi & Potentissimi Regis ac Electoris, Domini & Nuntitii nostri clementissimi jussu, juxta Mandatum abs Se renovatum & exasperatum contra Vindictam propriam, ejusque §. XLI. sub pœna confessi & convicti fontem, ut coram Concilio nostro, stato tempore, præsentem se listat, & de quæsitis respondeat, publice edictaliterque citavimus. Neque sic tamen comparuit homo profanus. Denuo igitur Juris antistites, quid nunc facto sit opus consulti, sententiam tulerunt, homicidam ad præscriptum commemorati a Serenissimo Mandati, pro confessio & convicto habendam, ejusque effigiem in tabula expressam atque repræsentatam, adscripto nomine ad perennem infamiam patibulo à Carnificis affigendam esse. Quæ executio cum jam peracta sit, nil amplius superest, quam ut Vos, O Nostri, per DEVM, per salutem vestram, pro officio nostro, pro amore erga vos paterno cohortemur, oremus, moneamus,

ut